

DISPUTATIO PHILOLOGICA
IN
IUDICIUM LONGINI
DE
APOSTOLO PAVLLO

QVAM
PRAESIDE
VIRO MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO

IOH. ANDREA MICHAELE
NAGELIO

ORDINIS PHIL. SENIORE ATQVE ACADEMIAE
BIBLIOTHECARIO


PATRONO AC PRAECEPTORE
OMNIPLETATIS CVLTV VENERANDO
IN ORDINE CIRCVLARI

D. XXI IVLII ANNO MDCCLXXII
TVEBITVR,

PAVLLVS IACOBVS BIRCKNER
IVR. STVD. NORIMBERGENSIS.

ALTORFII

LITTERIS I. A. HESSELI ACAD. TYPOGR.



PROOEMIUM.



Exstat inter fragmenta LONGINI aliquod, in quo mentio fit PAVLLI Tarsensis; qui ob ea, quae ipsi LONGINVS attribuit, Apostolus PAVLLVS esse videtur. Fuere tamen, et adhuc sunt docti viri, qui de illa parte huius loci, ubi PAVLLI meminit, ita iudicent, ut putent, eam LONGINI non esse. Nos uero istud iudicium de PAVLLO Tarsensi, LONGINO omnino adscribendum arbitramur; cuius nostrae sententiae rationes in breui hac disputatione academica paucis indicabimus, et fragmentum hoc, quoad poterimus, illustrabimus.

§. I.

Reperitur hoc fragmentum cum in quibusdam editionibus LONGINI, tum in FABRICII *bibliotheca Graeca libr. III, c. XXXI, p. 445, n. 25*, ubi haec existant: 25. *περὶ συνθέσεως λόγων. lib. de sublimi oratione sect. 39. Longinus ipse testatur, se de hac satis copiose tractasse in duobus commentariis, ὅπερ ἔστι ἐν δύοις ἀποχράντως ἀποδεδομένοις συντάγμασι ὅσαυτ' ἔστι τῆς θεολογίας ἡμῶν ἐπιπέτα.* Exstat et similis argumenti liber inter Dionysii Halicarnassaei

ορεια, de quo lib. 3, c. 32. Ex illis Longini petittum videtur testi-
monium de Rhetoribus, quod ex Codice MS. Vaticano Evangeliorum,
cum HUDSONO ZACCAGNIVS communicavit. Λογγίνος ὁ καὶ
Ῥήτωρ τὴν τῶν μεγάλων ῥητόρων ἀπαρίθμησιν συνέταξεν ὕψως.
κορωνίς δ' ἔστω λόγος παντός, καὶ Φρονήματος Ἑλληνικῆ Δημοσθένους,
Λυσίας, Ἀισχίνης, Ἀριστίδης, Ἰσοκρίτος, Τίμαρχος, Ἰσοκράτης, Δημο-
σθένος ὁ καὶ ἰ) κρείθινος, Ξενοφῶν. Πρὸς τέτοις Παῦλος ὁ Ταρσεύς,
ἄντινα καὶ πρῶτόν Φημι πρῶστὰ μὲν δόγματος ἀναποδείκτα.
Postrema de Paulo Apostolo a Christiano homine adiecta sunt.

§. II.

Iam nonnulla ad verba huius fragmenti annotabimus. Κορω-
νίς apud Graecos significat summum et culmen rei. SVIDAS de hac
voce ait: κορωνίς. ἀκρότατος, ἢ τὸ τελευταῖον τῆς οἰκοδομῆς ἐπίθεμα.
σεφάνης τὸ κεφάλαιον. Κορωνίς. Summitas, uel apex montis. Vel,
quod ultimum aedificio imponitur. Coronae caput. Λόγος uero etiam
elocutionem, siue stilum significat, unde SVIDAS haec habet:
ἀρετῶν δὲ τῶν λόγος ἔ. Ἑλληνισμὸς, σαφήνεια, συντομία, πρέπον, ἀπο-
σκευή. Orationis autem uirtutes sunt quinque: Puritas, perspicuitas,
breuitas, decorum, compositio. Vbi tamen, monente KVSTERO,
pro ἀποσκευῆ legendum κατασκευῆ. Crebro quoque HERMO-
GENES uoce λόγος pro stilo, siue elocutione utitur, u. g.
libr. II de formis orationis, p. 378: Τμητικὸς δὲ λόγος καὶ γοργός.
μάλιστα ἐν τοῖς ῥήμασι καὶ τοῖς ῥυθμοῖς θεωρεῖται. Εἰδέναι δὲ χρὴ
ὅτι ὁ λόγος ὁ τμητικὸς ποτὲ μὲν ἔστιν, εἰ μὴν δοκεῖ γὰρ εἶναι τμητικὸς.

Con-

1) Dinarchum uocatum esse κρείθινον, siue hordeaceum Demosthenem, testatur
Hermogenes. Confer scholia Graeca ad Hermog. p. 415.

Concisus autem sermo, et concitatus maxime in figuris et numeris
spectatur. Scire autem oportet elocutionem concisam aliquando esse,
et tamen non uideri. Φρονήσεως uocabulo autem utitur sensu
prudentialiae, quae ad facultatem oratoriam spectat, ARISTO-
TELES rhet. libr. I, c. VIII, §. 14: Φρόνησις δ' ἔστιν ἀρετὴ διανοίας,
καθ' ἣν εὐβελύεσθαι δύνανται περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τῶν εἰρημέ-
των, εἰς εὐδαιμονίαν. Prudentia autem uirtus est mentis, qua fit, ut
bene deliberare possint de bonis malisque rebus, quas diximus ad bea-
tam uitam pertinere.

§. III.

Quod ad indicem Oratorum a LONGINO recensitorum
attinet, in eo aliqua nomina sunt corrupta, quae feliciter re-
stituit celeberrimus RVHNKENIVS ad Rutilium Lupum p. 88;
ubi haec affert: Nam Timarchus orator ne fando quidem auditus. At
in oratorum numerum refertur a Io. Taylora V. C. ad Aeschin. contra
Timarch. p. 84. Videamus, quibus argumentis nitatur. Primum lau-
dat Rutilii locum. Sed in hoc post emendationem nostram, nihil prae-
sidii. Deinde affert hoc Longini fragmentum: Κορωνίς δ' ἔστω λόγος
παντός καὶ Φρονήματος Ἑλληνικῆ Δημοσθένους, Λυσίας, Ἀισχίνης, Ἀρι-
στίδης, Ἰσοκρίτος, Τίμαρχος, Ἰσοκράτης, Δημοσθένος, ὁ κρείθινος, Ξενο-
φῶν, πρὸς τέτοις Παῦλος ὁ Ταρσεύς, ἄντινα καὶ πρῶτόν Φημι πρῶστὰ
μὲν δόγματος ἀναποδείκτα. Enimvero male sit librariis, qui uirum
eruditissimum tam proterue luserunt. Nam fragmentum illud ita scri-
bendum: Κορωνίς δ' ἔστω λόγος παντός καὶ Φρονήματος Ἑλληνικῆ
Δημοσθένους, Λυσίας, Ἀισχίνης, Ἀριστίδης, Ἰσοκρίτος, Τίμαρχος, Δη-
μοσθένος ὁ κρείθινος, Ἰσοκράτης, Ἀντιφῶν. Dinarcho cognomen
fuit Δημοσθένος ὁ κρείθινος. Hermogenes de formis orat. II, p. 495.
ὡς ἤδη τινες, καὶ πρόσπαύζοντες, Διναρχον μὲν ἀχαρίτως κρείθινον

Δημοσθένην εἰρηκόσι. ubi uide Scholiasten. Eundem etiam ἄγροικον Δημοσθένην uocatum esse, tradit Dionysius Halic. in Dinarcho p. 117. Graecorum imitatione M. Coelius apud Sueton. de Rhetor. 2 L. Plotium subtracto nomine, ordearium rhetorem appellauit, deridens, ut inflatum ac leuem, et sordidum, ubi aduendus Is. Casaubonus. Quas egregias emendationes iure meritoque sequimur, nisi quod ISOCRATEM statim ISAEO postponere malimus.

§. III.

Quod iam ad ultima uerba huius fragmenti attinet, quae iudicium de PAVLLO Tarfensi continent, de iis haec monemus. Vox πρώτος hic non indicat primum ordine et numero, sed dignitate, et praestantia, principem aliquem in aliqua re. Sic utitur hac uoce THEOPHILVS ad AVTOLYCVM lib. III, §. VI, p. 302, editionis WOLFII: ἀργόμενοι γὰρ θεοὶ εἶναι, πάλιν ὁμολογῶσιν αὐτοὶ, καὶ τέτταρς πρώτοι ἀθέσμως ἐπιτελεῖν ἔφασαν. καὶ πρώτῃ γε τῷ Διὸς αἰ ποιητῶν εὐφρονότερον ἔδειξι τὰς χαλεπὰς πράξεις. Nam dum negant Deos esse, continuo eosdem iterum esse confitentur, nec non eos impia facinora committere tradunt. Et magna quidem uoce decantant Poetae Iouis, Deorum principis, flagitia. Cui loco WOLFIVS hanc addidit notam: (πρώτῃ γε) Clauserus, et ceteri non ceperant mentem nostri uertentes: et primum quidem etc. Nam uox πρώτος referenda erat ad Iouem, tanquam Deorum principem, de quo honoris causa reuerentius et modestius locuti sunt Poetae. Constat autem, Iouem per πρώτῃ nomen a ceteris Diis distinctum fuisse. Sic Sallustius de Diis et mundo Iouem appellat πρώτον θεῶν, alii πρώτιστον, μέγιστον, τὸν ἀνατάτω θεῶν etc. quae ueterum loca collegit diligentissime

tissime Cudworthus in systemate Intellectuali p. 264 seq. Confer eundem p. 452. seq. Idem THEOPHILVS eadem sectione, pag. 306, hoc uocabulum denuo ita adhibet, ubi ait: ἐτι μὴν καὶ ἀνθρωποβορία παρ' αὐτοῖς εὐρίσκεται, δι' ὧν συνέγραψαν γεγραπῶν, καὶ πρώτῃς γε, ἕς τετιμήμασι, θεοὶ ταῦτα πτωραχότας ἀναγέφουσι. Etiam ex ipsorum monumentis quis elicere potest, humanis carnibus uesci esse licitum: et deos, quos praecipuo cultu uenerati sunt, id factitasse produunt.

§. V.

Προϊστάμενος indicat curatorem, praefectum, ducem. Ita HERODIANVS hoc uerbo utitur lib. VII, c. 10, §. 16: τῆς τε συγκλήτης καίσαρα αὐτὸν ἀποδειξάσης, ἐπειδὴ διὰ τὴν ἡλικίαν, ἔχθρός τε ἦν προϊστάσθαι τῶν πραγμάτων, τῆς τε ἔργῃς ὁ δῆμος ἐπαύσατο, ἀνέχοντο τε προελθεῖν εἰς τὴν βασιλίαν αὐτῆν. Quum itaque Senatus Caesarem illum declarasset, quando adhuc per aetatem reipublicae praeesse non poterat, et irae multitudinis resederant, passi uidelicet sunt in aulam palatinam senes imperatores commigrare: qui et ante §. 3, citato loco, participio huius uerbi in hoc significato usus est: ἔδειξεν ἔν συνελθεῖν καὶ περὶ τῶν πραγμάτων σκέψασθαι. ἄνωξ δὲ ἀναβήσαντες κίνδυνον, πόλεμον ἀρῶσθαι προστησαμένους ἑαυτῶν χειροτονθέντας βασιλείας. Visum itaque illis in unum conuenire, et de rebus agendis deliberare. Quumque semel in periculum uenissent, bellum suscipere, qui ipsorum duces essent, electos principes. Denotat itaque πρώτος προϊστάμενος hic idem, quod Act. xxiii, u. 5, πρώτιστάτης.

§. VI.

§. VI.

Per δόγμα innuitur *sententia* aliqua, *placitum*, et *propositio*. Ita hanc uocem saepe usurpat EPICETVS u. g. c. X: τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα. τὸ δόγμα τὸ περὶ θανάτου. *Sententiae de rebus; placitum de morte.* SVIDAS sequentia de hac uoce habet: Δόγματα ἐκατέρως καλεῖται. τό, τε δοξαζόμενον, καὶ ἡ δόξα αὐτή. τούτων δὲ τὸ μὲν δοξαζόμενον πρότασις ἐστίν. ἡ δὲ δόξα, ὑπόληψις. -- περὶ δογμάτων. οἱ μὲν γεννητὸν, εἰ δὲ ἀγεννητὸν. καὶ οἱ μὲν ἔμφυχον, οἱ δὲ ἀψυχον. *Dogmata duplici sensu dicuntur: et id quod opinamur; et opinio ipsa. Ex his id, quod opinamur, est propositio: opinio uero, persuasio de aliqua re. -- De dogmatibus. Philosophorum alii (mundum) ortum habuisse, alii uero ortu caruisse dicunt. Item alii animatum, alii uero inanimatum eum statuunt. etc.*

§. VII.

Quod tandem ad uocem ultimam huius fragmenti, nimirum ἀναπόδεικτος, attinet: ea sine dubio, *improbabile*, quod non est *probatum*, siue quod *probari nequit*, indicat. Hoc certe euincunt illa exempla, quae HENRICVS STEPHANVS de hac uoce in *thesauro* suo adduxit; itemque ea, quae SVICERVS in *thesauro ecclesiastico* pag. 293, de ea refert: Ἀναπόδεικτον, inquit, ut ex uulgaribus notum lexicis est, quod demonstratum non est, Nullis probatum demonstrationibus. Item, quod demonstrari nequit, Quod nullis demonstrationibus probari potest. Alius tamen significationis huius uocabuli meminit Vir celeberrimus, Dominus Professor MORVS pag. 265 suae praestantissimae editionis LONGINI, ad fragmentum eius primum, ubi ita disputat: *Ac profecto, si δόγμα ἀναπόδεικτον significat placito, quae,*

quae, quoniam euentissima sunt, nulla demonstrandi subtilitate egent, non uideo, quomodo Paullus, δόγματος ἀναπόδεικτος auctor, potuerit in hoc oratorum catalogo poni. Est ergo prorsus alienum additamentum. Sed nos exemplum huius significationis in hac uoce ubique frustra quaesiuimus, et adhuc desideramus, ac credimus LONGINO δόγμα ἀναπόδεικτον esse, quod TERTVLIVS Act. c. xxiii, u. 5. Ναζωραίων ἀίρεισιν dixit. *Doctrinae de Christo, Deo cruci affixo, siue ἀίρεισιν Ναζωραίων, gentilibus fuit μωρία* I Cor. II, 23, siue δόγμα ἀναπόδεικτον, *placitum improbable, quod demonstrari haud queat, et rationi aduersetur.*

§. VIII.


Iam hoc fragmentum ita interpretamur: *Culmen uero esto elocutionis omnis, et prudentiae oratoriae Graecae, Demosthenes, Lyfias, Aeschines, Hyperides, Isaeus, Isocrates, Dinarchus, Demosthenes ille hordaeaceus, et Antipho; ac praeter hos Paullus Tarsensis, quem principem esse statuo duces dogmatis illius improbabilis.*

§. VIII.

LONGINVM hic de Apostolo PAVLLO loqui, inde etiam nobis recte colligere uidemur; quod eum a reliquis oratoribus gentilibus separat, iisque per formulam πρὸς τέτοις adiungit. Clarum quoque est ex nostra uersione, FABRICIVM, quem et alii Viri docti in hoc genere sequuti sunt, minus recte credidisse, postrema de Apostolo PAVLLO a Christiano homine esse adiecta. Quidni enim LONGINVS, qui MOSEN, Iudaeum, sectione VIII libri sui, ob sublime aliquod dicendi genus laudauit, etiam Apostolum PAVL-

LVM ob eandem causam praedicare potnerit? Etsi enim nihil, quod laudet, nominatim uti ex MOSE, ex PAVLLO, profert: facile tamen uel ob sublimia qualia u. g. *Rom. VIII*, 18, 28, 31, 33; *1 Timoth. III*, 16, etc. in scriptis diui PAVLLI passim occurrunt, elocutionem et prudentiam oratoriam eius laudare potuit, quum eius religionem aequae ac TERTVLLVS Act. xxiiii, reprehenderit. Patet denique ex uerbis LONGINI, quia PAVLLVM, principem antesignanum doctrinae improbabilis nominavit, eum plures libros N. T. quam scripta diui PAVLLI legisse, cuius uero facultatem scribendi et orandi ceteris scriptoribus N. T. praetulit.

T A N T V M.



PRAE-

P R A E S E S
NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

Quum olim beatum Tuum Dominum Patrem, Iure Consultum perdoctum et disertum saepius dexterrime rem in disputationibus Academicis agere audiuerim: gaudeo, TE Honoratissimis Matri, Vitrico, Patruo aliisque Amicis, ac mihi, AESTVMATISSIME DOMINE BIRCKNERE, iam spem facere, fore, ut in cathedra disputantium bene et cum laude stes. Promittit mihi id egregia diligentia, et laudabilis cognitio TVA Graecae linguae, quae TIBI ornamento est. Mactus hac assiduitate, et integritate morum uestigia paterna assidue sequere, atque eruditione et uirtute TE illi fortunae para, quam TIBI pro meo in TE fauore libenter et cupide precor. Vale.

